

Doctoris, Licentiat, & Magistri gradus in supradictis Collegiis susceperint, restricta videantur...

Proces Superiorum Collegiorum.

Declaratione ampliatio ad alios gradus.

Clausula.

§.2. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes...

§.3. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri...

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in supradictis Clementis Praedecessoris literis concessa sunt non obviare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibita, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXVIII.

Dat. 17. Oct. 1693. An. 3.

Revocantur, & reducuntur ad formam ordinariam peculiaris Indulta testandi quibusdam Cardinalibus, aliisque concessa, servata tamen Clem. IX. eorumdem Indultorum ampliatione.

Const. ed. 1692, Junii 21, P. 1. extat reformatio circa donationes, & distributiones bonorum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel affines Romani Pontificis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

UT judicium Nostrium de vultu Dei prodeat & oculi ejus videant aequitates, acceptionem personarum, quae apud eumdem Deum non est, nullis humilitatis Nostrae suffragantibus meritis, sed quantum Nobis ex alto concessum est arcere impense studuimus, illamque etiam a quibusdam Indultis quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris concessa accepimus, seu quae in posterum concedentur, congrua moderatione eliminare desideramus, nam cum unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra, grave videri non debet, si qui in Ecclesia uni Domino famulantur, una eademque libertate congaudeant, & praesertim qui in eodem gradu sunt constituti, aliquando provis dis sanctionibus ad aequalitates reducuntur, ut sicut pari dignitate praesulent, dispari nimis privilegio, seu Indulto non distinguantur: Pondus enim, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.

Exordium.

§.1. Cum itaque praefati Praedecessores Nostris S.R.E. Cardinalibus, qui pro ipsius Ecclesiae statu salubriter dirigendo assidue laborare non cessant, facultatem de fructibus Ecclesiasticis, & de bonis exinde, seu alias quaesitis disponendi tam in ultima voluntate, quam alias, & respective eorum haeredibus ab intestato in praemissis succedendi, sub quadam moderata, & congrua forma de benignitate Sedis Apostolicae concedere consueverint: vice autem versa nonnulli ex iisdem Praedecessoribus hujusmodi moderationem, seu formam ampliatis, suis sive veris, sive adscitis Consanguineis, vel affinis, & forsitan etiam nonnullis aliis S.R.E. Cardinalibus longe majora Indulta, & cum amplioribus facultatibus, modis, circumstantiis, clausulis, cautelis, & derogationibus concesserint; & propterea sicut aliis Nostris Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, decimo Kal. Julii expeditis Literis modum circa donationes, & reddituum Ecclesiasticorum distributionem in Consanguineos, vel affines Romani Pontificis pro tempore existentis inviolabiliter servandum salubri moderatione praescriptis ita etiam hujusmodi Indultorum ampliationibus, differentis, ut praefertur inter ejusdem S.R.E. Cardinales, hac Nostra speciali Constitutione occurrere, & opportune providere cupientes: Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia quaecumque, & singula Indulta testandi, seu alias disponendi, & respective ab intestato succedendi, omnibus, & singulis Cardinalibus, praefatorum Romanorum Pontificum Praedecessorum, qui illa concesserunt consanguineis, vel affinis, seu illorum loco adscitis, vel adscitis, & forsitan etiam nonnullis aliis quomodocumque, qualitercumque & quandocumque sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, modis, cautelis

Causa Constitutionis.

Revocatio, & reductio praedicti Indultorum ad formam ordinariam motu proprio facta.

Mandatu servandi ordinariam formam in concedendis dd. Indultis, quae alias nulla declaratur.

Confirmatio ampliationis dd. Indultorum a Clem. IX. facta.

lis, circumstantiis, qualitatibus, & cum quibuscumque etiam derogationum derogationis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, & ex quacumque causa, etiam meritorum, seu remunerationis laborum, & onerum, & alias quomodolibet insimul, vel ad partes, & semel pluries, & quantivis vicibus, & modis concessa, innovata, & confirmata, eorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inferti essent, pro plene, & sufficienter expressis habentes, prorsus, omnino, & irrefragabiliter moderamus, & ad terminos, modum, & tenorem, & formam ordinariam Indultorum testandi, seu alias disponendi, & respective ab intestato succedendi, omnibus aliis ejusdem S.R.E. Cardinalibus concedi solitorum penitus, omnino, ac in omnibus, & per omnia reducimus. Revocantes, cassantes ac irritantes prorsus, & inane remanere, & fore mandantes, quidquid in Indultis ad favorem Cardinalium consanguineorum seu affinium, & forsitan aliorum, ut praefertur, contra, praeter, vel ultra modum, & formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in praedictis servari solitam fuerit quocumque modo concessum, indultum, seu claritum, perinde, ac si praefata Indulta ad favorem praedictorum Cardinalium consanguineorum, vel affinium, & forsitan aliorum, ut praefertur, in hac parte, seu in his partibus non emanassent.

§.2. Ad haec cupientes super praemissis, & circa ea similiter in posterum providere, Motu, scientia & potestatis plenitudine paribus statuimus, decernimus, & ordinamus, quod illud idem, quod superius circa concessa Indulta constitutum, & mandavimus, similiter in quibuscumque Indultis, & facultatibus hujusmodi, quae deinceps singulis ejusdem S.R.E. Cardinalibus Romani Pontificis pro tempore viventis, ut praefertur, consanguineis, vel affinis, sive veris, sive adscitis, & adscitis, & forsitan etiam nonnullis aliis, etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores Nostris, dictamque Sedem Apostolicam pro tempore concedentur, omnino, & ad unguem debeat observari: Quodque hujus Indulta, seu omnes Literae Apostolicae desuper tam per Cancellariam, quam per Cameram Apostolicam, ac etiam per viam secretam, sive de Curia, vel sub Annulo Piscatoris, sive alias absque moderatione, reductione, aliisque praefatis, ac alias praeter, vel contra formam, & tenorem praesentis Constitutionis etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam cum praesentium speciali, & expressa derogatione, ac sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam derogationum derogationis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie pro tempore concedenda, seu expedienda, in ea parte, seu in illis partibus, quae erant contra, praeter, vel ultra formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in praedictis servari consuetam, nullius sint roboris, & momenti, nec cuiquam, ac si non emanassent, suffragentur.

§.3. Ceterum perpendentes, universum ejusdem S.R.E. Cardinalium Collegium tanquam Senatam Universalem Ecclesiae in excolenda vinea

Domini Nobiscum assidue collaborare, ac propterea operae pretium, ac congruum fore, ut omni personarum acceptatione sublata, eosdem omnes, & singulos Cardinales potius amplioribus privilegiis, & gratiis circa Indulta hujusmodi pariformiter complectamur, & communiemus. Cum itaque felic. record. Clemens Papa IX. Praedecessor Noster privilegia, & facultates testandi praefatorum S.R.E. Cardinalium ad illos etiam fructus extenderit, & ampliaverit, qui si naturales essent, & a solo, in quo sunt producti legitime, & juxta rei naturam fuissent sublata, & a manibus Colonorum, vel aliorum quorumcumque debitorum percepti, licet in horreis Ecclesiarum, vel in quovis alio loco adhuc inconsumpti, vel nullo modo aliis ipsorum Cardinalium bonis immixti, aut eorum patrimonio incorporati repererentur, si vero civiles essent, postquam dies solutionis advenisset, fuissent per quoscumque debitores quomodolibet perfoluti, & ad manus, Cardinalium, vel eorum Ministros pervenissent, seu in aliquo loco publico ad eorumdem creditum fuissent depositi: Idque etiam idem Praedecessor servari voluisset in terminis quomodolibet debitis pro affectibus bonorum, & jurium quorumcumque, quos in dictis facultatibus comprehendit voluit, & mandavit, si modo quo supra fructus tam civiles, quam naturales Conductoribus, & affectuariis locati, & concessi per illos fuissent percepti, quamvis termini solutionis affectuum per Locatores fuissent posticipate conventi, & alias prout in ejusdem Clementis Cedula motus proprio sub Datum pridie Kal. Martii, Pontificatus sui anno primo, uberius continetur. Hinc est, quod motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus praefatam cedulam Motus proprio cum omnibus, & singulis in ea contentis, ne dum amplissime, & plenissime confirmamus, & approbamus, sed quia accepimus eandem cedulam non fuisse pacifice observatam, seu illius executionem per varias interpretationes fuisse controversam, & retardatam, omnino volumus, & quibuscumque non obstantibus mandamus, illam inviolabiliter observari, & sublata quacumque contraria interpretatione omnimoda executioni demandari, praesentibus pro tempore existentibus Camerae Nostrae Thesaurario Generali, Clericis Praesidentibus, Commissario pariter Generali, ceterisque dictae Camerae Officialibus, & Ministris, & quibuscumque aliis enixe prohibentes, ne in totum, vel aliqua in parte etiam minima effectum, & executionem memoratae Cedulae Motus proprio, necnon praesentis Nostrae Constitutionis in hac parte quocumque modo impediunt vel retardant, minusque ad praedictorum fructuum in praefata Cedula Motus proprio, ut praefertur, contentorum incamerationem procedant, nec pro illis aliquam compositionem, ratam, portionem, seu quantitatem, etiam minimam quomodolibet sub quovis praetextu, causa, quaesito colore, & contraria interpretatione consequi, seu pretendere valeant. Et nihilominus ad majorem cautelam omnia & singula, quae in eadem Cedula continentur, hac in perpetuum valitura Constitutione iterum, & ex integro plenissime, & amplissime servari mandamus, decernimus, & sancimus, silva tamen, & firma in ceteris, quae praefata Cedulae dicti Clementis Praedecessoris non adversantur, remanente Constitutione praem. Urbani Papae VIII.

VIII. etiam Prædecessoris Nostri quo ad fructus beneficiorum inexactos sub Datum quinta Aprilis Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, & Pontificatus sui quinto, quam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus in omnibus, & per omnia plenissime, & amplissime præsentium tenore confirmamus, approbamus, & innovamus.

Revocatio, & redemptio similibus Indulgentiarum aliis personis concessorum, & concedendum.

§.4. Quod si forsitan aliqui quocumque etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia qualibet dignitate, gradu, vel munere fungentes, seu functuri huiusmodi, vel etiam in aliqua parte similia Indulta, seu facultates quomodocumque, qualitercumque, & quomodocumque, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac quibuscumque etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & ex quacumque causa etiam meritorum, in simul, vel ad partes, & semel, vel pluries ab eadem Sede Apostolica ante hoc assequuti fuerint seu in posterum assequantur convenire pariter existimamus, ne iisdem majoribus favoribus, & gratiis, quam prædicti S.R.E. Cardinales, potiuntur, & gaudeant. Ideoque motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, si quid in huiusmodi concessis, vel concedendis Indultis, forsitan contineretur, quod memoratis Cardinalibus concedi, ut præfertur, non consueverint, in omnibus, & singulis illis partibus, in quibus aliquid ultra, seu contra tenorem, & formam ordinariam cum dictis Cardinalibus servari solitam, fuerit quomodolibet concessum, seu concedatur, iisdem modo, forma, & cum revocationibus, aliisque præmissis moderamur, & ad terminos, seu imites, & formam ordinariam dictorum Indultorum omnibus Cardinalibus, ut præfertur, concessi solitorum, in omnibus, & per omnia tenore præsentium reducimus.

Clausula.

§.5. Decernentes easdem præsentibus Literas, & in eis contenta quacumque etiam ex eo, quod omnes, & singuli prædicti, & alii quicumque, cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, præminentie, & dignitatis in præmissis quomodolibet Jus, vel Interesse habentes, seu habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, seu auditi fuerint, tamen ipsorum Indultorum, vel privilegiorum, vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quacumque quantumvis pia, juridica, privilegiata, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimeret, causa, & occasione, colore, seu prætextu, titulo etiam oneroso, & capite etiam in corpore Juris clauso ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostre, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali, & formali, aut incognato defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illa aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratie remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, quempiam in iudicio, vel extra

illud uti, seu se juvare nullatenus posse, sed ipsas præsentibus Literas, & in eis contenta quacumque semper, & perpetuo firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque, & quomodocumque spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari.

§.6. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eisdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, dictæque Camera Præsidentes Clericos, & alios quoscumque quavis auctoritate, præminentia, & potestate fungentes, & quodcumque functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & definiti debere; irritum, quoque, & inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.7. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & signanter illa, quod Cardinales in Constitutionibus, & Regulis per Nos edendis non comprehendantur, nisi illa eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipse eadem Constitutiones de illorum, seu majoris partis eorum consilio editæ fuerint, ac etiam de jure quæsito non tollendo, illisque omnibus, quæ præfati Urbanus, & Clemens prædecessores in memoratis Constitutione, & Cedula Motus proprii respective voluerunt non obflare, necnon recol. mem. Pii Papæ IV. pariter prædecessoris nostri de gratis quacumque interesse Camera prædictæ concernentibus, eadem Camera, eisque libris intra certum inibi expressum tempus præsentandis, insinuandis, & registrandis, itaut easdem præsentibus Literas ibidem præsentari, insinuari, aut registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Camera, aliisque quibuslibet Decretis, statutis, usibus, styliis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis quibuscumque sub quibusvis, & cum quibuscumque, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantumque vicibus innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quælibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquiritur forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter, ac exactissime expressis, insertis, servatis, & specificatis respective habentes illas alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissime, & amplissime derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.8. Vo.

prout prætenditur, factum fuisse in præteritum, etiam contra Constitutiones Ordinis.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Cybo, de Carpineo, Casanate, de Norfolcia, de Laurea, & Panciatici a Sanctissimo D. Nostro particulariter deputata, & Partibus ore, & scriptis informantibus respondit.

Resoluciones.

Ad Primum. Deinceps non posse, nisi post duo Capitula Generalia, seu post duo sexennia, eligi Generalem ex illa Provincia, ex qua fuerit Generalis Antecessor immediatus, quæ tamen prohibitio minime intelligatur de Procuratore Generali, qui etiam intra dictum tempus ex præfata Provincia eligi possit.

Ad Secundum. Quemlibet Religiosum, licet a Capitulo absentem, sed ceteroquin prædictum omnibus qualitatibus per Constitutiones Ordinis requisitis posse eligi in Generalem.

Ad Tertium. Attento novo Privilegio Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. conferendi Doctoratus, & Magisterii Lauream, tam eligendum in Generalem quam in Provincialem debere esse Magistrum.

Ad Quartum. Procuratorem Generalem eligendum esse a Diffinitorio tam Capitulo Generali, quam Capitulo Intermedi, & in casu illius deficientie ob mortem, renunciationem, vel aliam quancumque causam extra tempus prædictorum Capitulorum, eligendum esse a Patre Generali, cum approbatione Sanctæ Sedis Apostolicæ usque ad Capitulum Generale, seu Capitulum Intermedium proxime futurum, ita tamen ut ipse Procurator Generalis nunquam eligi possit ex illa Provincia, ex qua sit Generalis.

Ad Quintum. Proxime futurum Capitulum esse convocandum, & celebrandum in Urbe.

Ad Sextum. Titulos esse conferendos juxta modum præscriptum in Constitutionibus Urbani pro minoribus Conventualibus Titul. 21. num. 5.

Ad Septimum. Patrem Generalem, non posse, nec debere deputare Commissarium Generalem, nisi quando ipse egreditur fines Italie, & pro eo dumtaxat tempore, quo extra Italiam commoratur.

Ad Octavum. Exhibenda, & examinanda esse Decreta, ut a Præterito facta, non retardata interim eorumdem executione. Romæ die 29. Maji 1693.

Et facta Sanctissimo de præmissis relatione, Sanctitas Sua Congregationis Sententiam in omnibus benigne probavit. Romæ 6. Octobris 1693.

Approbatio Pontificæ huius Decreti.

§.1. Cum autem sicut Venerabilis Frater noster Alderanus Episcopus Ostien. S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos & Sedem Apostolicam Protector Nobis subinde exposuit, ipse Decretum huiusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti plurimum desideret. Nos ipsam Alderanum Episcopum Cardinalem, & Protectorem specialem favore gratie prosequi volentes, ejus supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, ac omnia, & singula in eo contenta, & expressa, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, &

Proces Card. Protectoris.

Confirmatio eisdem Decreti.

con-

§.8. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur præsentibus, si forent exhibite, vel ostensa.

§.9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum moderationum, reductionum, revocationis, cassationis, mandatorum, statuti, Decretorum, Ordinationis, confirmationis, approbationis, voluntatum, prohibitionis, sanctionis, innovationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Idibus Octobris Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXIX.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis super nonnullis dubiis a Fratibus Tertii Ordinis S. Francisci propositis.

Dat. 19. Oct. 1693. An. 3.

De observantia Constitutionum quoad Laicos, & Oblatos vide Inn. XI. Const. ed. 1688. Mar. 13. P. 12. Et de electione Ministrorum Provincialis Clement. XI. Const. ed. 1708. Aug. 9. P. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper a particulari Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratibus nostris S. R. E. Cardinalibus in Causa Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci a Nobis deputata, emanavit super quibusdam Dubiis in eadem Congregatione propositis Decretum tenoris, qui sequitur videlicet = In Causa Tertii Ordinis Sancti Francisci, propositis infra scriptis Dubiis, videlicet.

Decretum d. Congregationis. Dubia.

Primo. An juxta alias disposita in Constitutione s. mem. Pauli III. de anno 1549. servanda sit Alternativa in electione Generalis.

Secundo. An decernendum sit etiam absentes a Capitulo posse eligi in Generalem.

Tertio. An prohibendum sit, ne quis gradum affectus eligi possit in Generalem, vel Procuratorem Generalem.

Quarto. An Procurator Generalis eligendus sit a Patre Generali, vel a Capitulo.

Quinto. An prohibendum sit ne proxime futurum Capitulum Generale celebretur Bononiæ.

Sexto. An prohibendum sit, ne Pater Generalis Titulum Provincialis conferat Religiosis simplicibus.

Septimo. An prohibendum sit, ne Pater Generalis deputet Commissarios Generales ad tempus indefinitum, & ad omnes causas.

Octavo. An prohibendum sit, ne in Congregationibus Generalibus, vel Capitulis Intermediis fiant nova Constitutiones, aut Decreta,

confirmamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robor adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Classific.

§.2. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Octobris, MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXX.

Dat. 19. Oct. 1693, An. 3.

Confirmantur Decreta super collatione Lectarum Provincie Castellæ FF. Eremitarum S. Augustini.

Agitur de numero Magistrorum Const. ed. 1692, Sept. 28, P. 2. Et Clem. XI Const. ed. 1710, Maji 20, P. 10.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Alphonfus Dominguez Frater expresse Professus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, ac Procurator Provincie Castellæ dicti Ordinis, quod alii nempe die 4. Octobris 1691. tunc existentes Prior Generalis, & Diffinitorium ejusdem Provincie in Capitulo intermedio congregati pro relictis Studiorum ipsius Provincie dispositione Decretum, quo modus conferendi Lecturas ejusdem Provincie præscribitur, ediderunt tenoris, qui sequitur, videlicet: Diffinitorium Provincie Castellæ S. P. N. Augustini in Capitu-

lo intermedio congregatum die quarta Mensis Octobris anno Domini 1691. Cum mature consideraverit quantum interfit Provincie relictæ Studiorum dispositio, & quod Lecturæ conferantur Benemeritis, decernit omnes Lecturas Artium hujus nostræ Provincie conferri debere publico oppositionum concursu, hoc ordine faciendi. Assignatur dies fixa, & certa ad incipiendas oppositiones feria secunda post Dominicam quintam post Pascha cujuscumque anni, & habita licentia Rev. Admodum Patris Provincialis pro tempore existentis (quæ nisi iis, qui per quatuor integros annos Theologiam audierint non est concedenda) venient Matritum promovendi, asserendo secum testimonium suæ Professionis, & illis secundum ipsorum antiquitatem, assignabitur dies ad legendum, itaut antiquior incipiat dicta feria secunda, & leget quotidie unus, aut duo, si PP. Judicibus concursus bene visus fuerit, assignatis punctis, in Aristotele, sicut mos est in examinibus Artium eligit unum, supra quod intra spatium 24. horarum leget lectionem unius horæ complete in Gymnasio Theologico nostri Collegii Matritum. Domine Mariæ de Aragon coram omnibus, sicut fit in oppositionibus Cathedralium Universitatum, & post lectionem arguet unus ex Oppositoribus, qui immediate legerit, & contra primum legentem arguat ultimus in antiquitate; postea arguent ambo Patres Regentes dicti Collegii, & si liberit aliquis ex Patribus Judicibus concursus, itaut in arguendo altera consumatur hora: Finitis autem oppositionibus, ultima die convenient Patres Judices, & secundum Deum, & sanam conscientiam suis suffragiis, schedulis in scriptis, declarabunt quisnam ex Oppositoribus sibi magis benemeritis videatur, & qui per plura suffragia primus reperietur, ita publicabitur, & scribetur, ut talis, & procedatur ad secundum, & ad tertium, & ad cæteros, & si contigerit duos ex Oppositoribus, æqualia suffragia sortiri, ambo in ipso gradu scribantur in Libro, quem mandamus asservari semper ad hunc effectum in Archivio dicti Collegii D. Mariæ de Aragon, in quo singulis annis scribetur oppositio facta, Oppositores, & in quo gradu, & Ordine quis approbatus fuerit, quod totum subscribetur a Patribus Judicibus concursus infra designandis. Et copia dictæ oppositionis, & regula subscripta utique a dictis Patribus remittetur Reverendo Admodum Patri Provinciali pro tempore existentis, qui sub poenis a Rmo Patre Generali præscribendis hujus confirmatione Decreti, Lecturas distribuet, eo ordine, quo fuerint approbati a Patribus Judicibus concursus, conferendo meliorem priori in ordine designato, secundam in secundo, & non aliter. Declaramus in primo gradu esse Lecturas Conventuum, qui vocantur magni, & inter eas Pamplonensem. Nominamus in Judices concursus Rev. Admodum Patrem Provinciale pro tempore existentem, quatuor Patres Magistros antiquiores in Provincia, qui tempore concursus potuerint interesse, & duos Patres Regentes dicti nostri Collegii. Etsi aliquis ex quatuor Patribus Magistris defuerit legitime impeditus ejus loco intererit Magister antiquior ab illis, etsi defuerit aliquis ex Regentibus, ejus loco ingredietur Lector jubilatus antiquior, qui tempore concursus fuerit Matriti; Etsi Pater Lector Collegii defuerit, ejus locum supplebit Pa-

Decretum Diffinitorii Provincie anno 1691, die 4. Octobris.

Decretum Prioris Generalis approbans relictum Decretum.

Processus Procuratoris Provincie.

Confirmatio relictorum Decretorum.

ter Rector absolutus immediatus existens Matriti tempore positionum, itaut semper sint septem ad minus Judices dicti Conventus. Item declaramus Oppositores, qui in una oppositione Lecturam non obtinuerint, posse adhuc admitti ad secundam, & tertiam pro distinctis annis. Attamen ter repulsam passum incapacem, ut amplius admittatur ad similes oppositiones, nec Rev. Pater Provincialis pro tempore existens licentiam amplius concedere possit, ut se ad concursum exponat, & a Judicibus nullatenus admittatur sub poenis a Reverendissimo Patre Generali præscribendis, prout sibi bene in Dño videbitur expedire. Et subinde tunc etiam existens Prior Generalis ejusdem Ordinis Decretum præinsertum confirmavit per suum pariter Decretum tenoris sequentis, nempe: Magister Frater Fulgentius Travalloni a Monte Elparo Giorgianus totius Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Patris nostri Augustini Prior Generalis. Cum Decretum supra relictum de promovendis ad Lecturas in nostra Provincia Castellæ, prævio concurrentium examine, augmento studiorum, & doctrinæ valde utile futurum sit, illud vigore præsentium, nostrique muneris auctoritate, necnon de consilio Admodum Reverendorum PP. Assistentium approbamus, & confirmamus, atque pro ipsius inviolabili executione præcipimus Patri Provinciali pro tempore existentis, cæterisque concursus Judicibus assignatis in virtute Spiritus Sancti, & sub poena privationis utriusque vocis, & inhabilitatis ad omnia officia omnibus futuris temporibus obtinenda, nec ad Lecturas Artium aliter admittant, aut promoveant, nisi sub præscriptis memorati Decreti conditionibus, prout concurrentes majori prærogativa fuerint digniores. Quod si secus fieri contigerit, aliqua præmissarum conditione omissa, tam Pater Provincialis, quam Judices superius præfixis poenis, ipso facto subaceant, & nihilominus promotiones ipsæ Lectorum irritæ, ac nullius valoris habeantur. Datum in Conventu Sancti Patris Augustini de Urbe die 5. Junii 1692. Frater Fulgentius Travalloni Prior Generalis = Magister Nicolaus Serrano Ordinis Secretarius.

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Alphonfus Procurator Decreti hujusmodi, quo firmiter subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summopere desideret: Nos eundem Alphonfum Procuratorem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabil. Fratrum nostrorum Sanctæ R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, Decreta præinserta a memoratis Priori Provinciali, & Diffinitorio, ut præfertur, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis

robor adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Classific.

§.2. Decernentes ipsas presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Provincie, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Octobris, MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXXI.

Conceditur, & statuitur, ut studentes Cœnobiorum S. Marci Florentin., Sancti Dominici Fesulan., S. Jacobi, S. Miniatis sua studia peragant in Cœnobiis strictæ Observantiae, & Lecturas obtinere queant.

Dat. 26. Oct. 1693, An. 3.

De numero Magistrorum vide Inu. XI. Const. edita 1677, Nov. 20, P. 2. Et hujus Pontificis Const. ed. 1695, Sept. 22, P. 5. Const. vero ed. 1697, Julii 23, P. 6. agitur de electione Lectorum Congregationis S. Marci.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Meritis Ecclesie regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione presidentes, ad ea per que Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, laudabilibusque institutis suis inhaerentium, statui, & felici directioni opportune consulitur, propensis studiis intendimus, ac in illis commissa Nobis cælitus officii partes interponimus, sicut rationi consentaneum esse in Domino arbitramur.

Exordium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres studentes, seu Alumni Sancti Marci Florentin., S. Dominici Fesulan., & Sancti Miniatis respective Conventuum Ordinis Prædicatorum, quod ipsi, tamen habitum per Fratres dicti Ordinis gestari solitum in Conventibus prædictis susceperint, atque inibi quam exactissime Constitutiones ejusdem Ordinis jux-

Species facti, & causa hujus Constitutionis.

ta præscriptum Decretum fel. record. Clementis VIII., & Alexandri VII. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac specialium ordinationum Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ observare hæcenus studuerint, & adhuc studeant de præsentibus, illisque Superiores Ordinis prædicti polliciti fuerint se eis potestatem facturos eandem plane vitæ rationem, quam in Conventibus prædictis inierant, Deoque sponderant, continuandi. Nihilominus de præsentibus pro suis studiis prosequendis in eos dicti Ordinis Conventus se conferre compelluntur, in quibus illud vivendi genus, cui ipsi in vim Constitutionum prædictarum, ac solemnium suorum Votorum addicti reperiuntur, minime servatur; quo circa Exponentes prædicti imbecillitatis suæ probe consciî se in suscepto instituto permanere posse diffidunt, ac pluribus illorum, qui postquam aliquando studiorum causa in Conventus hujusmodi se transferant, nunquam ad pristinam vitæ normam redierunt, exemplis edocti, ne sibi similiter ab arrepto proposito declinare contingat summopere verentur, nisi a Nobis districte prohibeatur, ne ipsi sub prætextu studiorum a Conventibus primodiæti amoveri valeant, vel saltem decernatur, ut non nisi in alios Conventus, in quibus re veratam vita communis observetur, tum regularis observantia vigeat, mitti debeant, quemadmodum per quoddam Decretum a rec. mem. Innocentio PP. X. etiam Prædecessore nostro editum, & in Capitulo Generali Ordinis præfati in hac Alma Urbe die 5. Junii 1650. celebrato Ordinatione VI. incipien. = *De nutu, jussuque &c.* acceptatum, necnon per aliud similiter Decretum alterius Capituli Generalis ejusdem Ordinis Vallisoleti anno 1605. habiti Ordinatione XVI. incipien. *In quibus &c.* præscriptum fuisse dicitur, quorum Decretorum vigore qu. Joannes Baptista de Marinis, dum vixit, Magister Generalis Ordinis prædicti, necnon Venerabiles Fratres Joannes Thomas de Rocaberti Valentin., ac Antonius de Monroy Compustellan. respective Archiepiscopi dum munere itidem Magistrum Generalis Ordinis hujusmodi respective fugebantur, nunquam permiserunt, quod Juvenes in primodiæti Conventibus educati, sacrarum, bonarumque literarum studiis alibi, quam in Conventibus strictæ observantia incumbere; unde vel eis, ut eadem studia in Conventibus primodiæti prosequi possent, concesserunt, vel potius illos in strictissimæ observantia Provinciam Toletanam, sive Congregationem Beati Jacobi Venetiarum ejusdem Ordinis, ne scilicet minus perfectorum Religiosorum contubernio eorum in via Domini fervor tepesceret, transmiserunt. Quinimo cum in Conventibus primodiæti Religiosorum, ac præcipue studiorum numerus excrevisset, dictus Antonius Archiepiscopus tunc temporis Magister Generalis Conventuum hujusmodi studentibus indulget, ut studia, quæ ipsi, sive in Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe, sive in Perusino respective Conventibus perficere debuissent, in Conventu Sancti Marci prædicto peragerent, ea tamen lege, quod peractis studiorum curriculum, rigoroso examine in eodem Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam ha-

bendo se subjicere deberent; quemadmodum hucusque fieri consuevit.

§.1. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, per quoddam statutum Provincie Romanæ Ordinis prædicti Apostolica auctoritate, ut asseritur, confirmatum, caveatur expresse, quod Fratres Provincie prædictæ ad Lectoris gradum promoveri minime valeant, nisi in Sanctæ Mariæ super Minervam, seu Perusino Conventibus prædictis studia sua peregerint: Nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§.2. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui dilectos filios Vicarium, & Procuratorem Generales dicti Ordinis audiverunt, consilio, fratres studentes, seu Alumni prædictorum Conventuum Sancti Marci Florentin., Sancti Dominici Fesulan., & Sancti Jacobi, Sancti Miniatis nunc, & pro tempore existentes studiorum causa, non alibi, quam in S. Marci Florentin. prædicto, sive aliis strictæ observantia Conventibus, cujusmodi sunt Conventus Provincie Toletan. ac Congregationis B. Jacobi Venetiarum hujusmodi a quoquam quavis auctoritate, vel superioritate fungente de cætero mitti, seu collocari possint, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Præterea eisdem Fratribus studentibus, seu Alumni, ut suorum studiorum curriculo exacto, licet in Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe, seu Perusino Conventibus præfatis studia hujusmodi minime peregerint, necnon peragant in futurum, nihilominus, servatis alias servandis, & dummodo ad id ceteroqui idonei reperiantur ad gradum Lectoris promoveri libere, & licite valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si eadem studia in Conventibus hujusmodi peregerint, & complevisse reperirentur, auctoritate, & tenore præfatis, concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§.3. Decernentes ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, Congregationis Beati Jacobi Venetiarum, Provinciarum, & Con-

Preces Studentum.

Statuti prædicti de loco Studiorum.

Concessio pro Lecturis obtinendis.

Clausula.

Conventuum prædictorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisc. die XX. Octobris MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXXII.

Confirmatur Decretum Congregat. Concilii, quo conceditur Vicariis Generalibus Ordinis Beate Mariæ de Mercede Redem. Captiv. in Indiis facultas ejiendi inquietos, & incorrigibiles.

Extr. moderatio Constitutionum Constitut. ed. 1692, Mar. 1, P. 1. Et Clem. XI. Constitut. ed. 1702, Mar. 29, P. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti filii moderni Vicarii, & Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Congregationis Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum exposito, quod cum in Constitutionibus dicti Ordinis Cap. VI. Dist. V. soli Magistro Generali pro tempore existenti ejusdem Ordinis cum assistentia tamen sex Religiosorum ipsius Ordinis, tribuatur facultas cognoscendi de causis Fratrum inquietorum, & incorrigibilium ipsius Ordinis, itaut postquam de iis connoverit, atque in illis rationes, & circumstantias a Constitutionibus prædictis requisitas adesse compere, ipse solus Magister Generalis ad sententiam eorum ejectionis juxta formam in eisdem Constitutionibus præscriptam, procedere possit; Ordo vero præfatus longe, lateque diffusus in Indiis reperitur, inquietorum, & incorrigibilium fratrum hujusmodi in tam remotis partibus degentium scandalis, & perturbationibus opportunum remedium adhibere nequit. Ac proinde pro parte dicti Vicarii, & Procuratoris Generalis prædicti Cardinalibus supplicato, ut ad duos Vicarios Generales dicti Ordinis in eisdem Indiis commorantes prædicti Magistrum Generalis facultatem extendere dignaretur, itaut eorum quilibet itidem cum assistentia aliorum, sex digniorum Religiosorum in casibus necessariis, juxta earumdem Constitutionum præscriptum, ad inquietorum, & incorrigibilium Fratrum hujusmodi ejectionem procedere possit; qua ratione regularis observantia, ac Divini servitii conservationi in partibus prædictis opportune consultum foret: Emanavit a prædicta Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Die 5. Septem-

bris 1693. Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, attenta relatione Eminentissimi Domini Cardinalis Otthoboni Ordinis prædicti Protectoris, censuit petitam facultatis extensionem concedi posse, facto verbo cum Sanctissimo. Et facta per Secretarium sub die 27. ejusdem Mensis relatione, Sanctitas sua benigne annuit, accedente consensu Generalis pro tempore, & juxta normam in Decreto de Apostatis, & Ejectis præscribendam.

§.1. Cum autem, sicut dictus Vicarius, & Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmus subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Vicario, & Priori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§.2. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisc. die XXIV. Octob. MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXXIII.

Erigitur gubernium Terrarum Civitatis Vetulæ & Tulphæ cum superintendencia in Civitate, Cornetana.

Suppressum fuit Officium Gubernatoris in Civitate Vetula Const. ed. 1692, Jun. 22, P. 1. Et Constit. ed. 1698, Aug. 5, P. 8. præscribitur forma regiminis in Civitate Laurentana.

T. 2

INNO.

Decretum Congregationis.

Preces Vicarii, & Procuratoris Gen.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

Dat. 10. Nov. 1693. An. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

IN supremo militantis Ecclesie folio meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ Bonitatis abundantiam constituti ad ea propensius studiis intendimus, per quæ terrarum temporalis S. R. E. Ditionis decor amplietur, illarumque hominum, & Incolarum status salubriter dirigatur.

Causa hujus Electionis.

§.1. Cum itaque nos nuper per nostram desuper editam Constitutionem, ne salutari quam in ea erga nostros, successorumque nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium secundum carnem Propinquos circa bonorum, & reddituum Ecclesiasticorum, ac ad hanc Sanctam Sedem, & Cameram nostram Apostolicam spectantium distributionem, servari præscripsimus, rationi, ac disciplinæ per nimis magna stipendia, seu honoraria alias nonnullis Sedis prædictæ officis, seu muneribus, quæ eorum dem Romanorum Pontificum Consanguineis, seu affinis, ut plurimum concedi consueverant, assignata fraus fieret, certa inibi expressa officia, seu munera hujusmodi cum omnibus, & singulis illorum, & cujuslibet eorum Juribus, prærogativis, stipendiis, salariis, & emolumentis quibuscumque, atque inter hæc Gubernatoris Terræ nostræ Centum Cellarum, sive Civitatis Vetule Viterbien. Diocesis officium perpetuo suppresserimus, & extinxerimus, abinde vero citra Terram prædictam, tametsi antiquis, usque amplissimis, quinimo etiam per Nos innovatis, auctisque celeberrimi Portus privilegiis, copiosaque non tam indigenarum, quam exterorum ad illam adventantium numero insignis existat, per unum Judicem Locumten. nuncupatum gubernata fuerit, ac proinde ejus honorificentia, & utilitati modo, & forma per eandem nostram Constitutionem minime vetitis, uberius prospiciendum sit, & sicut accepimus, etiam Terram nostram Tulphæ Sutrinx Diocesis, Incolarum non minus multitudinem, quam aliis nominibus celebris, per alium similiter Judicem Commissarium nuncupatum ab uno ex dilectis filiis Camera prædictæ Clericis Præsentibus Terræ hujusmodi pro tempore Gubernatore singulis annis deputari solitum regi, & gubernari consueverit: Hinc est, quod Nos prospero, felicique Terrarum prædictarum regimini, & gubernio quantum cum Domino possumus, per amplius consulere volentes, Motu proprio, non ad alios Nos super hoc oblate petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præfatam Terram Tulphæ, ejusque Comitatum, & districtum ab eorundem Clericorum Præsentium, ac cujuslibet eorum Jurisdictione sejungimus, & separamus, Commissariique in eadem Terra Tulphæ de præsentibus existentis officium, necnon illius nomen, titulum, denominationem, essentiam, & naturam perpetuo supprimimus, & extinguimus. In præfatis vero Civitatis Vetula, & Tulphæ Terris, illarumque Comitatus, & districtibus unum Gubernium perpetuum sub superintendencia Venerabilium Fratrum nostrorum nunc, & pro tempore existentium ejusd. S. R. E. Cardinalium consultationibus Civitatum, & Terrarum status

Erectio d. Gubernii Motu proprio facta.

nostri Ecclesiastici præpositorum pro uno Gubernatore ad nostrum, & Sedis prædictæ beneplacitum constituendo, & deputando, qui intraque, vel altera Signatura nostra Referendarius, aut noster, & dictæ Sedis Notarius Protonotarius nuncupatus de numero participantium, seu alterius Prælatuæ titulo insignitus existat, ac hyemali quidem, vernoque tempore in memorata Terra Civitatis Vetula in Domo per Cameram præfatam hætenus assignata pro tempore existenti Gubernatori Armarum dictæ Terræ, cui proinde loco Domus hujusmodi, ultra ejus consuetum stipendium annua sexaginta scuta moneta Romanæ pro pensione alterius Domus per eum in eadem Terra Civitatis Vetulae arbitrio suo conducenda dari, & præstari mandamus, residere debeat, ætivo autem, & autumnali tempore etiam in dicta Terra Tulphæ residere possit, omnimodamque jurisdictionem in omnibus, & singulis causis civilibus, criminalibus, ac meris, & mixtis dilectorum filiorum universitatum, & hominum Terrarum hujusmodi, illarumque Comitatum, & districtuum, etiam quoad Officiales, Ministros, milites, Nautas, Remiges, ceterasque personas quocumque nomine nuncupatas, tam in Triribus nostris Pontificis, earumque Classe, quam in præsidio prædictæ Terræ Civitatis Vetulae nunc, & pro tempore existentes, & libere habeat, & exerceat, salva tamen quoad Officiales, Ministros, Milites, aliosque præfatos in gravioribus causis, nempe in quibus imponenda erit poena corporis afflictiva, dilectorum filiorum Camera prædictæ Theaurarii Generalis, quippe cui alias coram prædictarum Tririum Pontificiarum, earumque Classis sub certis, modo, & forma tunc expressis demandavimus, ac Commissarii Generalis Armarum status Ecclesiastici prædicti, nunc, & pro tempore existentium respectu auctoritate, & superioritate, itaut illos Gubernator prædictus in iisdem causis gravioribus respectu, ut præfertur, consulere debeat, tenore præsentium erigimus, & instituimus.

Residentia Gubernatori.

Ejus jurisdictionis.

§.2. Ceterum ad ea, quæ ad ipsius Gubernii erecti, & instituti Jurisdictionis, & dignitatis augmentum cedere possunt, favorabiliter intendentes, eidem Gubernio, prævia Civitatis nostræ Cornetanæ, ejusque Comitatus, & districtus separatione, & dismembratione a quacumque Civitatis pariter nostræ Viterbien. pro tempore existentis Gubernatoris superioritate, etiam ipsius Civitatis Cornetanæ, illiusque Comitatus, & districtus prædictorum regimen, directionem, ac superintendentiam, itaut pro tempore existens Terrarum prædictarum Gubernator in Civitate Cornetanæ, ejusque Comitatu, & districtu prædictis cum titulo, & denominatione Superintendentis, eandem penitus Jurisdictionem, quam prius inibi Civitatis Viterbien. Gubernator hujusmodi habere, & exercere consueverat, pari modo, & absque ulla proferat differentia habere, & exercere debeat, harumque se jungimus, unimus, & incorporamus. Ipsi autem Gubernatori, ac Superintendenti provisionem mensuram sexaginta scutorum moneta prædictæ, pro rata scilicet vigintiduum scutorum hujusmodi ex salario alias Auditori pro tempore existenti Tririum prædictarum solvi solito; pro residuali vero summa ex redditibus, & proventus Furni panis venalis di-

Concessio superintendentis in Civitate Cornetanæ.

D. Gubernatoris, & Superintendentis stipendium.

Numerus Birruariorum Civitatis.

Clausula.

lis dictæ Terræ Civitatis Vetulae, donec aliter per Nos, vel Sedem prædictam provideatur, in fine cujuslibet mensis realiter, & cum effectu persolvendam præter alia incerta emolumenta, licita tamen, & honesta, ante hac Locum tenentis, & Commissarii respective prædictarum Terrarum pro tempore existentibus dari, & præstari consueti, earumdem tenore præsentium constitutum, & assignatum. Præterea volumus, atque decernimus, quod Curia Gubernatoris, & Superintendentis prædicti pro Justitiæ servitio ultra Barigellum, & tres Birruarios in eadem Terra Civitatis Vetulae de præsentibus (ut pariter accepimus) existentes, alios quatuor Birruarios habere, ac quidquid pro Salario, seu stipendio eorundem quatuor Birruariorum solvendo defuerit, ex redditibus, & proventus Furni hujusmodi, donec pariter per Nos, vel Sedem prædictam aliter provideatur, suppleri debeat.

§.3. Decernentes easdem præsentibus Literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis Jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non conferent, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cause propter quas præsentibus emanaverint, sufficienter adductæ, verificate, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium, consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & incogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in Jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperi- tionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine, paribus concessio, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentibus Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quoadcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, observari.

§.4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, & quosvis Sedis, & Camera prædictarum Officiales, & Ministros, & alios quoscumque quavis præminentia, & potestate fungentes, & sanctiuros sublata eis, & eorum cuiuslibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno- rante contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæ- sito non tollendo, necnon recol. mem. Pii Pa- pæ IV. prædecessoris nostri de gratis qualescum-

que interesse Camera prædictæ concernentibus, in eadem Camera, intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, & registrari- bus Literas ibidem præsentari, & registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Camera, Civitatum, & Terrarum prædictarum quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis quibusvis Personis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorum sub Annulo Piscatoris die X. Novembris MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXXIV.

Confirmatur erectio trium Cœnobiorum Recollectionis in Provincia Bætica Tertii Ordinis S. Francisci.

Dat. 21. Nov. 1693. An. 3.

Consl. ed. 1693, Aug. 15, P. 3. confirmata fuerunt quedam statuta. Et Consl. ed. 1695, Jul. 20, P. 5. præcipitur observantia statutorum in Collegio Sancti Isidori de Urbe.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

ALias Nos supplicationibus dilectorum filiorum Ministri Provincialis, Custodis, & Diffinitorum Provinciae S. Michaelis in Bætica Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci Nobis super hoc humiliter portestis inclinati, Decretum quoddam a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita emanatum, quo nonnulla statuta a Diffinitorio dictæ Provinciae pro felici directione trium Conventuum Recollectionis nuncupatorum in eadem Provincia non ita pridem erectorum edita confirmabantur toto statutorum hujusmodi tenore inserto per quasdam nostras in simili forma Brevis die 15. Augusti proxime præteriti expeditas literas approbavimus, & confirmavimus, prout in iisdem literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

§.1. Cum autem, sicut Minister Provincialis,

In laudata Constit. confirmata fuerant quedam Statuta, non autem erectio Cœnobiorum.

Preses. Supplicium.

lis, Custos, & Diffinitores prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, in Decreto supradicto statuta præfata dumtaxat confirmata fuerint, ipsi vero Exponentes etiam eorundem Conventuum erectionem Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur ipsos Exponentes amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum haurum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, & attentæ relatione, quam Ven. Fr. noster Alderanus Episcopus Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protector eisdem Cardinalibus super præmissis fecit, Erectionem prædictorum trium Conventuum Recollectionis in eadem Provincia factam, ut præfertur auctoritate Apost. tenore præsentium approbamus pariter, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio & Erectionis.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Conventuum, Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XXI. Novembris MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXXV.

Dat. 4. Dec. 1693. An. 3.

Conceduntur Privilegia Capellanis communibus Sanctitatis Suae.

Similia Privilegia concessa fuere ab Alex. VIII. Constitut. edita 1690, Aug. 2. Pontif. 1. Et conce-

duntur a Clem. XI. Const. ed. 1712; Decem. 7. Pont. 12.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

G Rata familiaritatis obsequia, quæ dilecti filii Joachinus Tenaccolus Civitatis Castellæ Canonici secularis, & Collegiæ Ecclesiæ Sancti Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe, Carolus Emigdius Ridolphus Alculanus, Hieronymus Ferrarius Novariensis, Joannes Dominicus Cozzardus Romanus, Bernardinus Brunettus Venetus, & Dominicus Palloccius Sabinen. Diocesis Presbyteri moderni Capellæ nostræ Pontificiæ Capellani familiares nostri, Nobis, & Apostolicæ Sedi hætenus impenderunt, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt, necnon vitæ, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientia, quam etiam fidei dignorum testimonio juvari percipimus, Nos inducunt, ut illis reddamus ad gratiam liberales.

Nomina Capellanorum.

§.1. Hinc est, (Reliqua vide Inn. XI. Constit. ed. 1680, Aug. 2, P. 1.)

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisc. die IV. Decem. MDCXCIII, Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXXVI.

Indicatur Jubileum Universale pro pace inter Principes Christianos.

Dat. 7. Sept. 1693. An. 3.

Indicatum fuit universale Jubileum initio sui Pontificatus Const. ed. 1691, Nov. 12, P. 1. Et iterum pro eadem pace Const. ed. 1695, Decem. 3, P. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christianis Literas inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

U Bi primum humilitatem nostram ad supremi Apostolatus fastigium evexit Altissimus cum universam plane Christianam Rempublicam longe, lateque sevientium bellorum procellis agitari videremus, nihil Pastoralis Officio, quo immerentes fungimur, antiquius fuit, quam Catholicos Principes diuturnis, & acerbissimis dissidiis inter se decertantes, ad pristina charitatis compagem revocare. Cujus enim, vel ferreum pectus non commovissent tot Populorum cædes, tot Urbium incendia, excidia Regnorum? Quis ad tot, tantisque fideli Populo, absque ullo Sacrarum, ac prophanarum rerum discrimine, calamitates non exhorruisset? Aut quomodo Pontificia nostra sollicitudo, qua ad opponendum Nos tanquam Murum pro Domo Dei jugiter tenemur ad innumera inde exorta, & sane gravissima Orthodoxæ Religionis detrimenta non exarsisset? Hinc majori, qua potuimus, paternæ Charitatis contentione, atque opera, qua precibus apud Deum cujus præstabilem super hominum malitia bonitatem invocare non cessavimus, qua Officiis apud Principes, quos ad salubria pacis consilia enixe cohortari, atque ad prælianda bella Domini ipsismet, quibus inter se

Exordium ex perurbato rum statu petunt.

& Inn. XI. Constitutiones super sportulis Judicum, & Tribunalium Urbis.

Laudatæ Constitutiones sunt Pii IV. Const. ed. 1561, Dec. 27. Et Constitut. ed. 1562, Jan. 2. Pauli V. Const. ed. 1611, Mar. 1. Et Inn. XI. Constit. edita 1689, Jan. 28. Ab eodem Inn. præscripta fuerunt stipendia, & Taxa pro rella Montium directione Const. ed. 1689, Jan. 6, P. 12. Ab hoc Pontifice vero suppressa nonnulla Officia, quorum hic mentio habetur Const. ed. 1692, Sep. 17, P. 2. Et Const. ed. 1699, Jan. 30, P. 9. confirmatur Constitutio super datis, & promissis pro justitia, vel gratia.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

C ircumspecta Romani Pontificis providentia nihil relinquit incertum, nihil præterit inordinatum, sed omnia suo Pastoralis commissi officio, quoties opus est, certa lege determinat, ac ne quis fines rebus provide, & accurate præscriptos transgrediatur, ordinationes desuper editas innovat, confirmat, declarat, & ampliat prout rationabiles cause persuadent, & in Domino conspici salubriter expedire. Præsertim vero, ut lites in hac Alma Urbe, ad quam Christianus Orbis pro Justitia jugiter confluit, moderatis, & minoribus, quibus par est, & fieri potest, expensis agantur, casus in quibus illæ debentur, ordinate præscribit, ac etiam debitas limite congruæ moderationis concludit. Cum autem inter hujusmodi expensas sportula Judicum Delegatorum connumerentur, earumdem quoque determinationi, ac determinationem, & moderationem hujusmodi, rerum, & temporum circumstantiis attente pensatis, Apostolicæ confirmationis, declarationis, seu novæ provisionis munimine corroborat.

Exordium a causis hujus Const. petiti.

§.1. Alias siquidem felix record. Pius IV. in suis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, sexto Kalendas Januarii super reformatione causarum Palatii Apostolici Auditorii, alias Rotæ Romanæ, & Pauli V. Romani Pontifices Prædecessores nostri etiam in suis Anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo, undecimo Kal. Martii super reformatione Tribunalium Urbis præfata sub titulo de Auditorio Rotæ respective expeditis literis statuerunt eodem verborum tenore, qui sequitur. Ut debitus modus sportulis imponatur non possint Auditores a partibus pro se, vel alium quovis modo sportularum nomine aliquid petere, vel exigere, sed nec a sponte dantibus ultra taxam infra scriptam accipere, videlicet. In Causis pecuniariis, seu profanis, aut quæ alias pretio quoquo modo aestimari possint, si aestimatio rei, de qua agatur, non excedat summam mille ducatorum, aureos decem. A mille vero usque ad decem millia, viginti quinque. A decem millibus usque ad viginti millia, quinquaginta, Ab inde supra usque ad quamcumque summam, centum. In Beneficialibus vero, si redditus annuus, de quo agatur, non excedat summam centum ducatorum, similiter decem. A centum vero usque ad mille, viginti quinque. A mille usque ad tria millia, quinquaginta. Ab inde

A Pio IV. & Paulo V. determinatæ sunt Sportulæ pro Auditoribus Rotæ.

ter se digladiantur armis adversus communem, & teteritum christiani nominis hostem excitare, atque urgere curavimus, publica Christiani Orbis cause hætenus non desuimus, nec adesse in posterum desinemus. Cum autem studia hæc nostra optato, quem sperabamus, sine adhuc vacua videamus, cum Propheta ingemiscere, compellimur: *Esperavimus pacem, & non est bonum, tempus medela, & ecce furor, tempus curationis, & ecce turbatio.* Quocumque enim pro Apostolici muneris nostri debito animum, curasque convertimus, ita sunt omnia, vel multiplicatis belli cladibus attrita, vel gliscentibus in dies discordiis prona in ruinam, et spectaculum oculis nostris exhibeant semper luctuosius florentissima nuper Europæ Provinciæ, misere nunc gementes inter præsentium arummarum sensum, & metum futurarum, atque cum eisdem Prophete verbis loquamur: *Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio, & si introiero in Civitatem, ecce attenuati fame.* Verum quis dedit in directionem Jacob, & Israel vastantibus? nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Ipse profecto, quia nolimus in viis ejus ambulare, & non audivimus legem ejus, effudit super nos indignationem furoris sui, & forte bellum. Accedamus igitur cum fiducia ad Sacram Misericordiarum Domini Aram, & expiatis per veram pœnitentiam peccatis, celestem iram placare, auctisque per Jejuniorum labores, & elemosinarum largitiones viribus orationis, divinam opem in his urgentissimis Ecclesiæ, ac Reipublicæ necessitatibus unanimiter implorare conitumur, ut ineffabilis Dei benignitas cordium contritorum holocausta in odorem suavitatis accipiens, quietem populis, ac Regibus, & Principibus Christianis arctam, & indissolubilem animorum concordiam, paremque Catholicæ fidei conjunctis viribus, & consiliis tuendæ, & propagandæ zelum largiri dignetur. Ecce nunc Dominici Adventus dies acceptabiles, dies salutis, qui sicuti Nos ad impensius orandum, ita divinam Clementiam ad liberalius indulgendum invitant, & spem certam faciunt consequendi veram illam, & celestem pacem, sine qua nequit ea ipsa, quam nos afflictis rebus opem latari incessanter inquirimus, pax humana consistere. Hæc autem, ut ferventiori spiritus ardore, majorique fructu peragantur, ex præfata Romanæ Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ more celestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit divina dignatio, aperire, & larga manu erogare decrevimus.

Exhortatio ad bona opera.

Causa Jubilei.

Concessio Indulgentiæ plenissimæ.

§.1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, Universis, & singulis utriusque sexus Christianis in Alma Urbe nostræ degentibus, qui solemnem Processioni, quam feria quinta currentis hebdomadæ (Reliqua vide Alex. VIII. Const. ed. 1689, Dec. 23, P. 1.) Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die VIII. Decem. MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Datum Præfate Nostræ Dec. 1693. An. 3.

LXXVII.

Configmantur, & declarantur Pii IV., Pauli V.,